

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Frankofurti ad Moenum, 1682

Dominica sexagesima

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica Sexagesima.

Evangelium Luc. 8. v. 4. -- 15.

EXORDIUM.

CUm Deus Israelitas ex Ægypto liberasset, cibavit eos in deserto Arabico pane cœlitus delapso, is erat, quasi semen coriandri, album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. Propterea Moses jussus est urceolum implere ex eo, ut custodiretur in futuras generationes, & eadem viderent panem, quo Deus eos in solitudine aluisset. Sed Israelitæ nauseæ illius capti sunt, dicentes: anima nostra nauseat, super cibo isto levissimo. Idcirco Deus eos occidit in deserto, ut de sexcentis millibus virorum, nemo præter Josuâ & Caleb Palæstinam ingressus fuerit. Exod. 16. v. 14. & seqq. Num. 21, 5.

Hæc *Allegorice* interpretabimur:

Nos quoque in deserto hujus mundi peregrinantes, in Palæstinam cœlestem tendimus, h. e. cœlestem Hierosolymam, in qua nobis *ποδὶστυμα*, per abitum suum ad patrem acquisivit. Phil. 3, 20. Ne vero in via deficiamus, Marc. 8, 3. Christus spirituali manna verbi sui beatificinos cibavit, quod dulcius est super mel & favum, convertens animas, Psal. 19. v. 11. 8. unde verbum vitæ, Joh. 6, 68. & potentia Dei ad salutem omni credenti appellatur, Rom. 1. v. 16.

Sicut itaque Moses jussu Dei Gomor de manna, qua Deus Israelitas aluerat, in urceolo, sive ut Epistola ad Hebræos loquitur, in urna aurea tenebatur in memoriam conservare, & in arca custodire: Sic nostrum quoque erit, hoc spirituale manna, sive panem hunc cœlestem non pedibus concalcare: sed in aurea urna cordis nostri sedulo

conservare & custodire, ut non modo auditores, sed & factores verbi simus, Jac. 1, 22. multosq; fructus feramus in æternam vitam Joh. 15. v. 5.

Sed plerique nostrum cum Israelitis tanta hæc beneficia non agnoscunt, & ut isti flagrabant desiderio carniæ, piscium, cucumerum, & peponum, porrique, cæparum & alii, quibus in Ægypto cibati erant, Num. 11. v. 4. 5. & vocabant mannam cibum levissimum, Num. 21, 5. Ita verbum Dei quoque à multis in parvo habetur pretio, ut eis factum sit in opprobrium, & non delectentur eo, Jer. 6, vers. 10. sed habent aures prurientes, peregrinæ doctrinæ, ut aliquid novi audiant, 2. Timoth. 4. v. 3. Imprimis concupiscentiæ oculorum, concupiscentiæ carnis, & superbiæ vitæ, 1. Joh. 2, 16. ut semen verbi divini locum non habeat, nedum in eo radices agat, spicetur, & fructum ferat. Hinc etiam est, quod tot hominum millia damnentur, & cœlesti Palæstina excidant, non enim verbum suscipiunt, sed consilium Dei adversus semetipsos spernunt, Luc. 7, 30. Qui igitur crederent? Rom. 10, 14. qui illuminarentur? qui converterentur, justificarentur, & salvarentur? Potius illud impletur: Oblitus es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego, Hos. 4, v. 6.

Hæc omnia præclare nobis explicantur, in prælecto Evangelio, per parabolam de terreno aliquo seminatore, qui quidem unum semen teminat: sed non ubique bo-

O nam

nam terram offendit. Aliud enim cecidit fecus viam, & partim conculcatum est, partim à volueribus cœli comestum. Aliud supra petram, & natum exaruit. Aliud inter spinas: & suffocatum est. Aliud denique cecidit in terram bonam, & fecit fructum eentuplum. Hoc Christus verbo divino applicat, quod adeo diversimode ab hominibus suscipitur, unde etiam effectum suum apud omnes non potest consequi, ut animas eorum salvet. Jac. 1. v. 21.

Nos ad parabolam ipsam nos accingemus, & contemplabimus:

I. Ἀπολογίαν sive notitiam nostri.

II. ἀπολογίαν, sive notitiam Christi.

J. J.

• Exegesis.

Maxima beneficentia Dei est, quod quotannis annum ille benignitate sua coronat, Psal. 65, 12. & educit panem de terra, & vinum, quod latificat cor hominis, Pl. 104, 15. Sed majoris æstimandum est, quod verbi sui semen tam largiter disseminat, quo corda nostra frugifera redduntur, & renascuntur ad vitam æternam, 1. Pet. 2, 23. Hinc audimus quoque in Evangelio prædicto, de magno populi ad Christum accessu, cum ille, ut cœlestis seminator exit, ad seminandum semen suum, nam multus jam confluxus populi erat, & plures ad eum de civitatibus properabant, sicut in ipso Evangelii principio percipimus.

Notitiam nostri inde discere possumus, si intuemur

I. *Auditorum pluralitatem.* Turba enim plurima convenerat, & quidem tanta, ut Domino non locus relinqueretur in terra, sed in navim ascendere teneretur, quo eomodius populum è navi docere posset, ut à Marco explicatur, c. 4, 1.

Hoc inde erat, quia sermo Dei preciosus erat in diebus illis, ut tempore Eli, 1. Sam. 3, 1. ut miseri nullum ex concionibus solatium capere possent, sed quoties templum frequentarent, male affecto corde & vulnerata conscientia abirent, ob legis severitatem, quæ omnes maledictos pronunciat, qui non permanent in sermonibus legis, Deut. 27, 27. unde etiam jugum intolerabile illa vocatur, Act. 15, 10.

Posteaquam vero Christus Servator blande omnes invitabat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, Matt. 11, 28. Hinc multi invitati eum sequuntur, ut mederetur contritis corde. El. 51, 1. Hoc quoque fideliter fecit pietissimus Servator, neque enim corporales morbos modo virtute sua vivifica fugavit: sed animis quoque salutarem, consolationem instillavit, servis Sacerdotum & Phariseorum ipsis, id consentibus. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo, Joh. 7, 47. Erat enim quasi potestatem habens, non ut scribæ Marc. 1. v. 22.

Hic te proba, mi Christiane! utrum etiam tantum desiderium Concionum sacrarum & verbi divini ceperit?

Christus Servator adhuc hodie exit, ad seminandum semen suum, neque enim aliud habemus verbum, sed idem illud, quod Christus & Apost. ejus prædicarunt, 2. Cor. 5

Sed devotio hodie plane frigida est. Non opus hodie est, procul abire, ut conciones audiamus, sed præ foribus habemus verbū divinum, & tamen multi ex negligentia idem audire nolunt. Ex quo colligimus, quod multis pietas cordi non sit. Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit. Joh. 8, 4. Qui igitur verbum Dei non libenter audit, sine dubio de satanæ Synagoga est. Apoc. 3, 9. Et habet sententiam scriptam, quod pars ejus futura sit

in stagno, ardente igne & sulphure, Ap. 21, 8. Qui enim non mecum est, inquit Christus, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Luc. 11. v. 23.

Regina Arabiæ veniebat à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, 1. Reg. 10. v. 1. Et ecce! plusquam Salomo hic, Matt. 12. 42.

Protagoras sedulus erat Præceptor, sed socordes habebat discipulos: hinc vulgo de ipso dictū est: eum dextra discipulis porrigere sapientiā: quam illi læva modo acciperent

Sic Servator noster præceptor fidelissimus est, qui Ecclesiæ suæ pastores & Doctores dat, Eph. 4, 11. qui nobis viam cæli ostendunt: sed ingratitude tanta est, ut multi sinistra arripiant, quod dextera manu ipsis exhibetur; h. e. repellunt verbum, & indignos se judicant vita æterna, Act. 1, 46. quos iusta pœna insequetur, ut non gustaturi sint cœnam cœlestem. Luc. 14, 24. Neq; existimare debemus, Evangelium nobis in matrimonium datum; Nequaquam. Facile à nobis idem auferri potest. Nonne Judæi erant regnum sacerdotale, & genus sancta? Exod. 19. v. 6. sed propter incredulitatem fracti sunt, Rō. 11, 20. Idem nobis accidere potest, nolite errare, non irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

II. *Agri diversitatem.* Quia enim Servator, ut erat omniscius, optime videbat, multum discriminis inter auditores suos esse, nonnulli siquidem venerant ex curiositate, ut novi quid viderent & audirent: nonnulli ex invidia, ut aliquid ex concionibus ejus exciperent, quo exitum ipsi struerent: nonnulli dicis causa, ut tempus consumerent: paucissimi firmum propositum afferebant discendi, & vitam emendandi: inde ille ansam arripiebat, de seminatore & semine ejus parabolam proferre, cujus summa hæc est:

Quando agricola semen suum spargit,

multa sese ipsi objiciunt obstacula, quæ in causa sunt, ut semen impediatur, nec ille scopum præfixum attingere queat. Hæc sunt:

1. *Terra callosa.* Quod enim in viam cadit, partim conculcatur, partim ab avibus cæli comeditur. Sic verbum Dei sæpe ejusmodi corda offendit, quæ omni pietate carent, & dicunt cum Epicuræis ex Sap. 2, 2. 3. Quod si nonnunquam stimulum quandam conscientiæ ex verbo accipiunt, facile ille elabitur, si ad contribules suos redeunt. Verū siquidem est quod David ait, Psal. 18. v. 25.

Hoc animadverso, diabolus occasionem reperit, unde ceu infernalis prædator advolat ad rapiendum verbum de cordibus ipsorum, sicut exemplum in Eva habemus, Gē. 3.

2. *Terra petrosa.* Sæpe enim fit, ut de semine, quod agricola spargit, quicquam in lapidem vel petram cadat, cespitem opertam. Ibi quidem brevia nascitur semen, sed quia humore destituitur, radices agere nequit, & exarefcit. Hi illi sunt, qui cum verbum audierunt, cum gaudio excipiunt illud; & hi radices non habent, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, ut Christus ipse explicat. Ejusmodi farinæ homines multi erant tempore Christi, ut patet ex Joh. 12, 42. S. Paulus quoque Galatas suos non usq; adeo commendat, quando ait: Curbatis bene: quis vos impedivit, veritati non obedire? Gal. 5. v. 7. Nec minus de Dema conqueritur, 2. Tim. 4, 10. Hi sunt inimici crucis Christi, de quibus Paulus conqueritur, Phil. 3, 19.

3. *Terra spinosa.* De hac dicitur: Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ, suffocaverunt illud. Per hoc illi intelliguntur, qui verbum audierunt, & à sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum

Divites hujus mundi, quando templum invisunt, nō sine instructione dimittuntur, sæpe enim inculcatur, quod avari & sceneratores non hæreditatem habeant in regno Dei & Christi, Eph. 5. 5. Vide 1. Tim. 6. 9. Esa. 58. 7. Rom. 12. 13. Sed hoc ipso corda eorum non commoventur, finita vix concione, lucro inhiant, & verbi divini obliviscuntur. In causa sunt spinæ divitiarum, quibus adeo implicati sunt, ut non facile se explicare iis possint. Ubi enim thesaurus hominis, ibi & cor ejus. Matth. 6. v. 21.

Ex tertia hac parte non multum sperandum, sed propterea semen non plane perditum est, datur enim:

4. *Terra bona*, in qua semen germinat, radicatur, & fructum fert, aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud vero trige cuplum. Matth. 13. 23. Hac illi intelliguntur, qui verbum non modo audiunt, sed & retinent, & fructum ferunt in patientia. Si quis enim tantum auditor verbi est & non factor, hic cōparabitur viro, consideranti vultum nativitatissuæ in speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit, Jac. 1. 23. 24. Hi nullum fructum capiunt ex verbo, judicabuntur enim per illud, in die novissimo, Joh. 12. 48.

Hic quilibet se probet, ad quam classem pertineat: Pauci enim inveniuntur, apud quos semen verbi divini in terram bonam cadit. David jam tum suo tempore de hoc conquestus est, Psalm. 12. v. 1. Micha similiter c. 7. v. 1. seqq. Christus eò progressus est, ut dixerit: Filius hominis veniens: putas, inveniet fidem in terra, Luc 18. v. 8.

Sic quilibet se examinet, ne sibi videatur aliquid esse cum tamen nihil sit, Gal. 6. 3.

Quod si reperis, cortuum esse, ut viam callosam, & tritam, ubi semen verbi di-

vini nullas radices agere potest, ne ægre feras, quando verbi minister, ut spiritualis agricola utitur rastris legis, quo callosam hanc viam proscindere vult, sed suscipe insitum verbum in mansuetudine, Jacob. 1. v. 21. Et precibus Deum sollicita, ne potestatem largiatur, prædatori diabolo, ut rapiat, quod seminatum est in corde tuo, Matth. 13. v. 19. Hunc circiter in modum: Sanctifica me pater in veritate tua, verbum tuum veritas est. Joh. 17. v. 17. vel cum Ecclesia:

Ne xbum tuum
Te corde quæso supplice *A' meo, deo, etc.*
Ne semen auferri verbi *sic culpa vide*
Tuis, meo de pectore: *Hand tinget ne*
Sic non queo confundi
In crimine *in solo te*
Nam gratia *hi domine*
Spes meruæ tenebit, *spem pono atq, etc.*
Qui firmiter *Lui igitur*
Hoc nititur *hoc nititur*
Is mortem non videbit. *is non spechabit*
Ich bitt N. H. Err aus Herhengrund / *mortem*
Du wollst nicht von mir nehmen /
Dein heilges Wort aus meinem Mund /
So wird mich nicht beschâmen /
Mein Sünd und Schuld /
Denn in dein Huld
Seh ich all mein Vertrauen /
Wer sich nun vest
Darauf verläst /
Der wird den Tod nicht schauen.
Quod si itaque animadvertis, semen verbi divini cadere apud te, in terram petrosam, h. e. quod dolosum in secundis, aruosum in adversis rebus, Jer. 17. 9. ora Deum, ut cor lapideum auferat, de carne tua & det tibi cor carneum, Ezech. 36. v. 26. Præterea certa & labora, 2. Tim. 2. v. 5. & quidem usque ad finem, Matth. 10. v. 22.

Quod si

Quodsi cor tuum spinis sollicitudinum, divitiarum, & voluptatum implicatum est, iterum ora cum Davide, ex Psalm. 119. v. 36. ne cum divite epulone in damnationem incidas, Luc. 16. v. 24.

Quodsi autem cor tuum terra bona est, in qua verbum Dei radicitur, germinat, & fructum fert in patientia, perge in hoc curricula, & tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, Apoc. 3. v. 11. sic optimam partem elegisti, Luc. 10. v. 42. verbum enim hoc te illuminabit, ut Camerarium Reginae Candaces, Act. 8. v. 36. In cruce te latificabit, Psalm. 119. v. 91. Et tandem salvabit, 2. Tim. 3. v. 16.

III. *Seminis generositatem*, quod est verbum Dei, ut Christus ipse explicat, quo renascimur ad vitam aeternam, 1. Petr. 1. v. 23. Sicut enim semen, quamdiu in granario conservatur, nullum fructum fert, sed tum demum, quando terrae illud mandat est; sic quoque verbum Dei nullum gignet fructum, nisi diligenter auditum, lectum, ruminatum, imò cordibus nostris inclusum fuerit, ut fiat λόγος ἐμψυχός, ut Jacobus ait 6. I. v. 21.

Hic proba te, utrum tu quoque semen verbi divini exceperis, velut semen incorruptibile, cuius virtute possis renasci, ut Christianismus tuus requirit?

Quamvis enim Deo placuerit, per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21. attamen multi inveniuntur, qui conciones in tenui pretio habent, hinc templum rarius frequentant, vel tamen parum devotionis afferunt, hinc non mirum est, si re infecta illi vicissim exeant, nullum emolumentum capientes, & vim seminis divini inhibentes, semper discentes

& nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, 2. Tim. 2. v. 7.

Veri Christiani Deo gratias agere debent, quod semen verbi sui beatifici adco largiter disseminari facit, ideoque, cum diligentia & devotione attendant, excipiant, & in corde conservent, quò in casu necessitatis eò uti queant. Qui enim in tempore colligit, tempore opportuno habebit. Neque quisquam rectè dixerit, quid est hoc? suo enim tempore admodum commodè apparent, Sir. 39. v. 22. Hoc qui fecerint, tandem cum exultatione venient, portantes manipulos suos. Psalm. 126. v. 6.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem *ἡγορωσιαν*, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi percepturi. Hic nobis proponitur:

I. *Tanquam caelestis seminator*. Exiit enim, qui seminat semen suum. Hic nemo alius est, quàm aeternus Dei Filius, per quem omnia facta sunt, quae facta sunt, Joh. 1. v. 3.

Exiit autem

1. *per aeternam generationem*, modò, hominibus nobis incomprehensibili, ita ut nihilominus per essentiae divinae unitatem in Patre manserit, ut ipse ait: Ego in Patre, & Pater in me est, Johan. 14. v. 10. De hoc egressu non dicitur hic, utpote qui factus est ab aeterno, adhuc sit in tempore, & fiet in aeternum intra essentiam divinam, sine respectu ad creaturas, quae in tempore creatae sunt, Gen. 1. v. 3. seqq.

2. *per variam ablegationem*: Propterea vocatur λόγος, Joh. 1. v. 1. quia Pater

cœlestis per eum in V.T. per Patriarchas & Prophetas locutus est. Deum enim nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui in sinu Patris est, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18.

3. *Per factam incarnationem*, ubi specie visibili, post susceptum Baptismum obambulavit, & semen Evangelii disseminavit, in Judæa, Galilæa & Samaria, tanto cum successu, ut populus cumulatum eum secutus, non satiari potuerit. Non enim tantum summus noster Sacerdos: sed etiam Prophetæ esse debebat, & quidem idem ille, de quo Moses prædixerat .Deut. 18. v. 15. Hoc munus fideliter exantlavit, dum non modò ipse in diebus carnis populum docuit: sed & postea, ubi discipulos & Apostolos suos misit in universum orbem, ad Evangelium omnibus creaturis prædicandum. Marc. 16. v. 15. Quin adhuc hodie est, qui Hierusalem Evangelistas dat, Esa. 41. v. 27. qui semen verbi divini disseminare pergunt, & spiritualemente agriculturam exercent, donec tandem in ultimo die exhibit, & colliget, quod severunt illi, Apoc. 14. v. 14.

Observabimus hoc:

In consolationem nostram, Deus Pater per Filium suum cœlum & terram ex nihilo produxerat, & omnia, quæ in illis sunt, viditque cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde, Gen. 1. v. ult. Præcipue hominem ad imaginem suam creaverat, quæ in posteros ipsius quoque propaganda erat, ut fructus spiritus sese exerent, Gal. 5. v. 22. Sed alius seminator exiit in Paradisum, qui Proto-plastorum cordibus semen serpentis nocentissimum infidelitatis & ambitionis implantavit, ut deperditâ Dei imagine liberos genuerint, non ad Dei, sed suam imaginem, Gen. 5. v. 3.

Hoc valde doluit divinum Numen, Et

quia non delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 21. remedium aliquod pro infinita sapientia sua reperit, quo humanum genus restitutum est, ita nimirum, ut Filius ejus unigenitus carnem nostram induerit, & velut cœlestis agricola ejusmodi semen sparserit, quo virtute Spiritus S. renasci & ad vitam æternam conservari possimus. Propterea cum gratiarum actione hoc agnoscere debemus, & quando seminatore hujus semen in corde nostro excepimus, ita fovere, ut nemo non cognoscat, nos agriculturam Dei esse, 1. Cor. 3. v. 9. Sic luceat lux nostra coram hominibus, Matth. 5. vers. 16. sic seminemus in justitia, Os. 10. v. 12. nec defatigemur, ut tempore suo metamus delassati, Gal. 6. v. 9.

II. *Tanquam bonus Concinator*. Captivi enim auditorum sese attemperat, novitque simplicioribus mysteria regni cœlorum in notis parabolis ad eò ob oculos ponere, ut consideratione rerum terrenarum assurgere & paulatim discere queant, quæ edificationi suæ inserviunt. Quid vulgarius est agriculturâ? Quis nescit, quomodo cum vinea comparatum sit? attamen Doctore huic eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 40. ansa inde subministratur, ad varias utiles conciones formandas, ut in præcedente & præsentem Evangelio audimus.

Hoc idem faciunt verbi ministri & Ecclesiarum pastores, ut non ad artem conciones suas, ad demonstrandam sapientiam & eruditionem suam: sed potius ad exemplum Christi componant, & quàm fieri potest, simplicissimè, quod meditati sunt, proferant, ex virtute illa, quam administrat Deus, 1. Petr. 4. v. 22. Est enim scriptura *fluvius, in quo agnus pediat, & Elephas natat*, juxta

juxta Gregorium. h. e. qui verbum Dei ad artem suam tractare gessit, stultus fiet, Roman. 1. v. 23. Qui verò literæ inheret, credens contra spem in spem, ad exemplum Abrahami, Rom. 4. v. 1. huic feliciter succedet, ex ore enim infantium & lactentium perfecit sibi Deus robur. Psal. 8. v. 2.

Hoc quoq; de concionibus intelligi debet, non enim Deus in die novissimo quæret, quàm subtiliter, sed quàm utiliter docueris. *Gloria prædicatoris est profectus auditoris*, ut Gregorius ait, ultra quem scopum conciones extendi non debent. Hoc probè observavit D. Lutherus noster, quamvis enim linguarum & disciplinarum experientissimus esset, tamen omnia ad auditorum captum accommodavit, ut ipse consetetur his verbis: Wenn ich alhier zu Wittenberg predige / so laß ich mich auffß tieffste herunter / sehe nicht an die Doctores und Magistros, deren etwa vierzig drinnen: Sondern auff den Hauffen junger Leute / Kinder und Gesind / deren wol hundert oder tausend da seyn / denen predige ich / nach denen richte ich mich / die dörfens / wollens sie andern nicht hören / so siehet ihnen die Thür offen.

III. *Tanquam mysteriorum reſerator*, qui nemini regni sui mysteria abscondit, sed vult, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant 1. Tim. 2. v. 4. Propterea hinc exclamat: Qui habet aures audiendi, audiat! Quinimò malè contentus est cum iis, qui ante explicationem hujus parabolæ abibant: Discipulos verò suos, qui cum de genuino hujus parabolæ sensu interrogabant, commendat, & dicit: Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei; cæteris autem inparabolis, ut videntes non videant, & audientes non audiant & intelligant. Quæ non ita

intelligenda, ac si Deus definito quodam consilio ad hoc prædestinaverit eos, ut mysteria hæc ignorare debeant, quod blasphemum est: Hoc enim modo nemo exclusus est. Dederat Deus his quoque aures, quibus verbum haurire poterant, offerebat gratiam, ut verbo credere possent; quia verò concionem Christi flocci facientes, pro sermone rustico, qui duntaxat de agricultura terrena ageret, habebant, & ante explicationem parabolæ discedebant, indigni prorsus erant, qui ulterius quicquam auferrent, juxta illud 1. Sam. 2. v. 30.

Aliàs nemo simpliciter à gratia Dei exclusus est, qui seipsum non excludit incredulitate & securitate suâ, nihil enim Deus odit eorum, quæ fecit, Sap. 11, 25. sed miserationes ejus super omnia opera ejus. Ps. 145, 9.

Ob hunc finem quoq; Christus in mundum venit, ut nobis voluntatem Patris cælestis manifestaret, Joh. 6. v. 40. ideoq; si modò discipulos se interrogaturos animadvertibat, semper eos responsione suâ præveniebat, hoc ipso indicans, quàm promptus sit ad instruendum ipsos, Joh. 16. v. 19.

Post resurrectionem suam, multis argumentis per dies quadraginta illis apparuit, locutus cum eis de regno Dei, Act. 1. v. 3. Et cælo conscensò, non eos orphanos reliquit, Joh. 14, 18. sed alium paraclætum misit, qui duxit eos in omnem veritatem, Joh. 16. v. 13. & donis sufficientibus ad Evangelium prædicandum instruxit, Act. 2, 11. Rom. 5. v. 19. Adhuc hodie dat verbum, Evangelium istas magno exercitu, Ps. 68, 12. qui nos docent utilia, Esa. 48. v. 17. Et notas faciunt vias vitæ, Psal. 16. v. 11. 2. Tim. 1. v. 12.

Hæc magna gratia est, quam Deus nobis in Christo exhibuit, propterea accedamus ad ipsum, ut instruamur ab eo, quando infor-

informatione in rebus fidei indigemus, ipse enim est magister noster, Matth. 23. v. 10. In quo omnis sapientia & scientia thesauri absconditi, Col. 2. v. 3. Propterea quoque ipse Deus Pater eum nobis commendavit in monte Thabor, Matth. 17. v. 5. Medium verò ad Christum nos deducens est potissimum sacra scriptura, quam scrutari jubemur, Joh. 5. v. 39. Hoc si fecerimus, in dies in agnitione Dei proficiemus, & tandem

intuebimur eum, à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Nec amplius feminabimus, sed metemus, quod hic serimus, Psalm. 126. v. 5. Omnes eum cognoscemus, Jer. 31. v. 34. & coram eo ambulabimus in terra vivorum, Psalm. 116. v. 9. Quod Deus Pater noster cœlestis, nobis omnibus ex gratia largiatur, per Filium suum Jesum Christum, Servatorem nostrum unicum, in Spiritu Sancto! Amen.

Dominica Quinquagesima.

Evangelium Luc. 18. v. 31. --- 43.

EXORDIUM.

CUM Regius Propheta David ob rebellem Absolonis impetum fugeret, & operto capite, montem olivarum ascendens fletet: Exiit vir de cognatione domûs Saul, nomine Simei, qui non modò maledixit Davidi: sed & lapides misit contra eundem, dicens: Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial: Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domûs Saul, quoniam invasisti regnum pro eo. 2. Sam. 16. v. 7.

Hoc elegantem nobis Allegoriam subministrat.

Quod enim Regio Prophetae Davidi contigit, id in hodiernum diem accidit filio Davidis, Salvatori nostro Jesu Christo: quando Hierosolymam progreditur, ut nostri causâ illudatur, contumeliis afficiatur, conspuatur, flagelletur, crucifigatur, & occidatur; hoc præsertim tempore, quo filii hujus mundi Bacchanalia celebrant, & crapulâ & ebrietate, aliisque scædis libidinibus, larvati, tantis sceleribus sese contaminant, quibus æternus Dei Filius denuò crucifigatur, Hebr. 6. vers. 6. & sanctissimus ejus

sanguis conculcatur, Hebr. 10. vers. 29. Hoc peccatum multò majus est, quam quod Simei adversus Davidem commisit, quamvis capite iccirco multatus, 2. Reg. 2. v. 46. Quid quæso de iis fiet, qui ipsum filium Dei, in via jam versantem, ut eorum causi crucifigatur & occidatur, ad eò ignominiosè tractant, ut pro ludo Bacchanaliorum habeant, & non reputant, quanti æstimandus sit, Es. 2. v. ult. Sine dubio durum ipsis erit contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5. Hebr. 10. v. 28. 31.

In hanc finem Majores nostri, prælecti Evangelium in hodierna Dominica explicandum ordinarunt: Ubi in prima parte, Dominus ipse de passione & morte sua prædicat. In altera verò parte cæcus Bartimæus nobis proponitur, in quo videmus, quam scædè nos Satanas larvis suis depravarit, ut non necessum sit, Bacchanantium instar, larvis nos deformare: cum potius iter Christi ad mortem considerare debeamus, de quo discipulis suis concionatur, ajens: Ecce, ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas,